MEMORIAM

KREGELIO-STERNBACHIANAM

DIE XVIII. M. IULII A. MDCCCXLVI

HORA IX.

IN AULA ACADEMICA

SOLEMNI ORATIONE RECOLENDAM

INDICIT

D. AUGUSTUS LUDOVICUS GOTTLOB KREHL
ORDINIS THEOL. H. T. DECANUS.

Descriptio theologiae practicae.

Descriptio theologiae practicae.

1.

Theologia est scientia religionis, sive veritatis, qua conscientia Dei in animis hominum nititur, subtilis et docta cognitio. Christiana theologia ergo est scientia seu subtilis et docta cognitio Christianae religionis. Cum autem Christus religionem sub nomine et notione regni divini proposuerit, et doctrina eius *ὁ λόγος* seu *τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας* (Matth. 4, 23. 13, 19. coll. Act. 19, 8.) appelletur: commode christianam theologiam doctrinam de regno divino dici posse apparet.

2.

Ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ in N. T. quadruplicem significatum capit seu potestatem habet. Significatur enim hoc vocabulo,

1) doctrina salutaris, quatenus dogmata vel theoretica vel practica, et res in facto positas complectitur. (Regnum coeleste obiectivum ideale seu Christus obiectivus.) Matth. 3, 2. 4, 23. 13, 11. Marc. 4, 11. Luc. 10, 9. 11. alibi.

2) Christus subiectivus (Gal. 2, 20. 4, 29.) seu animo per fidem concepta veritas salutaris eaque *ἐνεργουμένη* (Gal. 5, 6.), Luc. 17, 21. Marc. 4, 26. Rom. 14, 17. 1 Cor. 4, 20.

3) Christianorum societas externa seu ecclesia, quae semper visibilis est. Matth. 13, 24. 31. 47. Marc. 4, 31. Luc. 13, 19. Col. 4, 11. Haec dicitur etiam *ἡ β. τοῦ Χριστοῦ*, vel *υἱοῦ*. Mtth. 13, 41. 16, 28. Eph. 5, 5. Apoc. 1, 6. 9.

4) Denique significat ecclesiam triumphantem seu futuram felicitatem, aeternam salutem. Hoc sensu dicitur apud Matthaeum ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Matth. 5, 3. 10. 12. 7, 21. passim; ἡ β. ἡ ἐπουράνιος 2 Tim. 4, 18. τοῦ πατρός, Matth. 13, 43.

Coroll. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν apud Matth. latius patet et complectitur ea omnia, quibus apud reliquos Synopticos notio τῆς β. τ. ϑ. absolvitur, quamvis Matthaeo nomen ἡ β. τοῦ ϑεοῦ notum (12, 28.) et 19, 23. 26. utrumque eadem vi positum sit. In universum probe notandum β. τ. ϑ. esse genus, β. τοῦ Χριστοῦ, vel τοῦ πατρός, vel (apud Matth.) τ. οὐρ. species. Hinc fieri potest, ut generale nomen cum specialibus permutetur, interdum confundatur*).

3.

Christiana theologia, cum sit scientia de regno divino, duo potissimum habet obiecta, ideale et reale regnum Dei; illud est religio seu veritas Christiana, hoc vero ecclesia, in qua seu per quam regnum ideale reale factum est. Dicitur autem ecclesia corpus Christi, quia externa societas est credentium, quam Christus regit, cuius est quasi caput Christus, ex quo illa eiusque membra singula spiritum ducunt, vel ducere debent. Eph. 1, 23. Rom. 8, 9.

4.

Dividitur ergo theologia christiana in duas partes, theoreticam et practicam. Theoretica est ea, quae circa ideale, practica, quae circa reale regnum seu ecclesiam versatur. Quae enim disciplina recte dicitur practica, ea docere debet, quomodo efficiendum sit quod theoretica tradit. Iam vero theoretica theologia cum doceat quaenam sit idealis illa veritas, practica docere deberet, quomodo eadem realis fieri i. e. inter homines et

*) Expositionem de vocabulis, quibus regnum divinum in N. T. significatur, h. l. tantum adumbrari potuisse, consilium libelli docet.

in hominibus regnare seu ecclesia constitui possit. Qua iam constituta practica theologia est scientia de tuenda seu administranda ecclesia; ergo de officio seu ministerio ecclesiastico.

Nota. Theologus practicus non est minister ecclesiae, sed is, qui docet de ministerio ecclesiastico sive auctor theologiae practicae. Paulus apostolus theologus practicus non propterea, quod munere apostolico functus est, sed propterea, quod quomodo ecclesia administranda sit in epistolis pastoralibus exposuit, habendus et appellandus est.

5.

Cum omnes, qui membra ecclesiae sunt, christianam doctrinam de Deo eiusque cultu fide amplecti et agendo exprimere debeant: theologiae theoreticae illud propositum est, ut quid credendum et agendum sit subtiliter doceat; theologiae practicae vero officium versatur circa societatem eorum, qui religionem christianam amplectuntur, eo consilio tuendam, ut doctrina Iesu Christi norma sit et credendi et agendi, omnesque credentes ad eam cognoscendam, tenendam et vita exprimendam impellantur. Quemadmodum igitur ex cognitione agendi ratio, ex fide vita suspensa est, ita theologia practica ex theologia theoretica pendet; ecclesiae instituta mutari fidei doctrina mutata necessario sequitur. Iam vero cum theologia theoretica diversa et dissensus de ea inter christianos haud levis sit: theologia practica etiam non una eademque esse potest; singulae potius ecclesiae, seu diversae ecclesiae universalis partes, suam et vario modo habent omnes ac singulae diversam theologiam practicam.

6.

Regnum divinum ideale, idque obiectivum, notas habet necessarias unitatem, universalitatem, sanctitatem. Nam Deus unus est, 1 Cor. 8, 6. Eph. 4, 6.; isque Deus omnes homines salvari vult, 2 Tim. 2, 4.; et cum idem sit sanctus omnes sanctos esse iubet, 1 Petr. 1, 15. coll. Matth. 5, 28. Pariter regni coelestis in terra auctor Iesus Christus, Dei

filius, unus est Dominus 1 Cor. 8, 6., servator omnium, 1 Io. 2, 2. Tit. 2, 11. Act. 4, 12. coll. Io. 14, 6. 3, 16., sanctus, peccati expers, Ebr. 4, 15. 7, 26. 1 Io. 2, 1. 3, 5. 1 Petr. 2, 22. 23. Io. 8, 46. Cum vero ecclesia regnum divinum reale seu visibile, regni idealis effigies et apparitio, corpus Christi seu Christus visibilis sit, Eph. 1, 23. 1 Cor. 12, 12.: ea quoque debet esse una, catholica, sancta. (Symb. ap.: *credo sanctam ecclesiam catholicam;* S. Nic.: *Et unam sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam.*) Unitas ecclesiae cernitur in unitate fidei, confessionis, sacramentorum; Eph. 4, 5. *εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα.* Universalitas nititur veritatis divinae notione, quae una tantum esse potest, cum Deus et Christus sit unus, atque omnes, quotquot sunt in terra, homines ad vitam aeternam fide in Deum et Christum consequendam destinati sint. Matth. 11, 28 sqq. 28, 19. Io. 3, 16. 17, 3. 1, 9. 10, 16. Marc. 16, 15. Luc. 24, 47. Rom. 11, 32. Denique ecclesia sancta seu congregatio sanctorum esse debet, quia spiritus Dei seu Christi, qui in animis credentium habitare vult ac debet, sanctus est, Eph. 5, 21. Gal. 2, 20. 1 Cor. 6, 19. Rom. 8, 10. 11.

Coroll. Ecclesiam empiricam seu realem non omnibus numeris absolutam, eamque neque unam, neque universalem, neque sanctam esse, patet. Atque praeposterum eius perficiendae studium quoad unitatem Papatum, quoad sanctitatem errorem Donatisticum, et quoad universalitatem molestam imo foedam in convertendis hominibus sedulitatem genuit.

7.

Theologiae practicae consilium non id est, ecclesiam constituere, potius constitutae leges et instituta exponere; docere, quomodo minister ecclesiae in tuenda societate fidelium versari debeat. Ergo huius disciplinae est, leges, quibus status ecclesiae particularis nititur, tradere et quid secundum formam institutorum, quae valent, faciendum sit, exponere. Maximam igitur partem est empirica seu positiva. Nullo quidem modo

negligere debet speciem ecclesiae in N. T. propositam vel quale esse debeat regnum visibile ad normam regni invisibilis seu idealis compositum: tamen, cum ecclesia particularis certas habeat leges, quibus societas continetur, id eius theologiae practicae propositum est, ut ministros ad officium recte et adcommodate ad normam positivam administrandum instruat. Quemadmodum publica ecclesiae doctrina seu theologia theoretica ecclesiae positiva est, ita etiam et multo magis theol. pr., quia societas externa arctissime cum civitate legibus constituta nexa et copulata est.

8.

Ac primum omnium, cum sit doctrina de officio ministri ecclesiae, id quaeri debet, quod sit et quam late pateat officium ecclesiasticum. Hoc autem ex notione ecclesiae derivandum est. Nam etiamsi ecclesia sit particularis: tamen universae ecclesiae notionem generalem ea exprimere debet, uti species generis.

9.

Regni divini notio et qualitas id requirit, ut omnes, qui sunt membra ecclesiae, eandem habeant dignitatem, eadem iura et officia. Nam cum Deus vel Christus vel Spiritus S. in omnibus habitare velit, omnes sunt pares, eodemque loco in eccl. habendi *). Quod quidem prophetae V. T., deinde Christus ipse, denique Apostoli sic esse testantur. Cf. Ierem. 31, 31 seqq. Ioël 3, 1 seqq. Matth. 20, 25—28. Io. 6, 45. 14, 21. 23. 17, 20—21. 1 Cor. 3, 21—23. 1 Petr. 2, 9. Igitur in notione ecclesiae nulla inest diversitatis fidelium ratio; clericorum et laicorum differentia seu distinctio non est primitiva vel necessaria. Cum vero homines varii sint et diversi ingenio, moribus, et vitae rationibus, fieri non potest, quin etiam in ecclesia diversitas quaedam oriatur eorum, qui vel acriores

---

*) Schleiermacher *die Christliche Sitte* (Berlin 1843.) p. 518. Alle Glieder dieser Gemeinschaft als solche sind wesentlich unter einander gleich.

vel tardiores vel ingenio vel moribus sint. Inter ipsos apostolos erat eiusmodi discrimen, ita ut alii aliis praestarent indole, animo, moribus et studio; ergo etiam vel magis vel minus apti essent ad officium exequendum, quod ipsis Christus mandaverat.

10.

Iesus Christus duodecim discipulos elegit (Luc. 9, 1. Act. 1, 2.) ex numero eorum qui eum sequi solerent, iisque mandatum dedit, ut ecclesiam constituerent, h. e. ut doctrinam docerent, credentes ad societatem cogerent, eosque suis ipsius praeceptis adstringerent. Matth. 28, 19 seqq. In huius officii honorem appellavit eos apostolos, Luc. 6, 13. Negari ergo non potest, officium seu munus ecclesiasticum ab ipso conditore ecclesiae institutum esse, Matth. 16, 18. Eph. 4, 11—13. Eius consilium ac finis est, societatem credentium tueri, seu id efficere, ut ideale regnum fiat reale, sive ut coeleste sit terrestre.

11.

Munus autem ecclesiasticum quamvis sit divinae originis, tamen non tollit paritatem idealem fidelium. Hoc enim potissimum spectat, ut omnes sint sacerdotes, omnes a Deo docti Io. 6, 45. et chrismate spiritus s. imbuti, 1 Io. 2, 20. 27.; ergo ut omnis differentia specifica tollatur. Tum etiam omnes, qui docent in ecclesia, vel ecclesiis praesunt, sunt ministri eorum, quorum causa munere ecclesiastico funguntur, Matth. 20, 26. 27. 23, 8. 11. 2 Cor. 4, 5. Col. 1, 23. Denique cum perfectissima societatis species ea sit, quod omnes socii pro viribus id agunt, ut societatis commodis prospiciant et communis salutis curam gerant, id etiam in societate ecclesiastica omnibus (eiusdem corporis) membris curae cordique esse debet, ut, quicquid possint, ad societatem tuendam et perficiendam faciant, 1 Cor. c. 12. c. 14. Rom. 12, 3. 6. Col. 3, 16. Ebr. 10, 24. Gal. 6, 2.

12.

Sed vel si omnes ecclesiae socii id laborent, ut ecclesiae usibus serviant, tamen diversitas inter eos erit ingenii et studii, loci et virium. Haec tamen diversitas non est qualitatis sed quantitatis; differentiam quidem efficit, non tamen specificam. Eos, ad quos pertinet dictum Apostoli (2 Cor. 4, 13): *Ἔχοντες δὲ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως, κατὰ τὸ γεγραμμένον· Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα, καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν:* hos, inquam, clerum naturalem appellare licet; is omnes eos complectitur, qui sua fide impulsi sedulo id student, ut finis ecclesiae perficiatur, isque aetate apostolica late patebat.

13.

Cum vero temporis successu ecclesia et propagaretur et variis molestiis conflictaretur; cum theologia christiana opus esset ad philosophos adversarios confutandos; cum apologetici libri scribendi, omnis generis haeretici debellandi essent; cum cura ecclesiarum diligentissime gerenda esset, et pristinus fidei ardor in plurimis frigesceret, haud mirandum est, positivum clerum in locum naturalis successisse, et munus ecclesiasticum variis legibus et certis personis adstrictum esse; nec, qui vellet, sed cui potestas publice mandata esset, ad munus ecclesiasticum administrandum adhibitum, *χειροθεσίᾳ* (1 Tim. 4, 14. 2 Tim. 1, 6. Act. 6, 6.) inauguratum esse. Nec tamen hoc mandatum vel haec inauguratio qualitativum discrimen inferre potuit aut debuit. Clerus etiam positivus seu ordo ecclesiasticus nullo modo eiusmodi praerogativam habet, ut paritas tollatur; muneris non qualitatis est differentia. Ministri igitur ecclesiae rite vocati hoc tantum differunt a caeteris ecclesiae membris, quod ipsis specialis ecclesiae cura auctoritate publica ecclesiae demandata est.

14.

Age vero nunc quam late pateat muneris ecclesiastici vis ac potestas videamus. Ecclesia imago Christi esse debet; quicquid igitur in Christo est, id referre seu exprimere debet ecclesia, ut sit Christus (mysticus). (1 Cor. 12, 12.) Ac primum quidem Christus est veritas, *ὁ λόγος ὁ ἐνσαρκωθείς*, is, in quo absconditi ideoque etiam reclusi sunt omnes sapientiae thesauri. Ex veritatis cognitione pendet vera fides. Quae cum ita sint, in ecclesia veritas docenda est, eiusque perfectiore cognitione non solum iuvenilis et imperita sed etiam adulta et peritior aetas imbuenda. Veritas autem seu doctrina Christiana complectitur dogmata, praecepta, promissiones; ergo *διδαχή*, *παράκλησις* (*νουθεσία*) et *παραμυθία* tractanda est (Eph. 4, 13—15.), *μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλή, ὁ Χριστός.* Cum vero nomine *οἰκοδομῆς* docendi, cohortandi et consolandi munus comprehendatur: ministrorum est, ecclesiam *οἰκοδομεῖν* seu aedificare. Hoc sensu Christo tribuitur munus propheticum; cuius in ecclesia eo, quod ecclesiae ministris docendi vel aedificandi officium demandatum est, adumbratur species.

15.

Christi munus sacerdotale secum habet coniunctam non solum obedientiam et activam et passivam, quae summo Dei et hominum amore nixa, in sanctitate vitae et in morte pro salute hominum oppetenda se exseruit, sed etiam perpetuam operationem et efficacitatem, quae in *ἐντεύξει* et sa-

lute resipiscentibus afferenda cernitur. Ecclesia igitur debet studere sanctitati et cultui, sive id agere debet, ut omnes socii honeste vivant et Deum pie colant. Colitur Deus vitae honestate, sacramentorum usu et precibus in nomine Iesu offerendis. Haec cura est muneris ecclesiastici pars pastoralis. Omnes autem Christiani eius participes esse debent, quod omnium est sancte vivere seque Deo victimas offerre, Rom. 12, 1. sacramentis uti et preces facere. Immo etiam ii, qui non habent ordinem nec rite vocati sunt, necessitate urgente, sacramenta administrare et cultui publico praeesse possunt. Luth. opp. W. 18, p. 1567 seqq. 1597. V, 1509.

16.

Denique cum Christus sit dominus ecclesiae seu regiam habeat potestatem, etiam in ecclesia, quae visibilis est Christus, eius muneris adumbratio quaedam esse debet. Christus vero dominum se esse ea re ostendit, quod ad condendam ecclesiam apostolos instruxit, munus pastorale et sacramenta instituit, atque ecclesiae hanc concessit potestatem, ut leges societatis conderet, cultum publicum institueret, et credentium coetum regeret, Matth. 18, 15—20. Penes ecclesiam igitur est ius regiminis seu legislationis; ius fidei seu confessionis, cum quo coniunctum est ius reformandi; ius sacerdotii seu ministros ecclesiae vocandi et instituendi; ius liturgicum seu caeremoniale; ius disciplinae seu corrigendi et excludendi omnes qui emendari nolunt, neque flagitiorum poenitentiam agunt. Haec iura complectitur potestas ecclesiastica; quae ius in sacra (regimen ecclesiasticum, politica sacra) dicitur, ut distinguatur a iure circa sacra, quod civitatis est, quae providere debet, ne quid detrimenti res publica ex ecclesiis, quae intra fines ipsius sunt, capiat. Ius autem in sacra soli competit ecclesiae.

17.

Ministerium ecclesiasticum latissimo sensu complectitur omne id, quod in usum ecclesiae fit, omnes actiones ecclesiasticas. Eae autem pertinent aut ad externum aut ad internum ecclesiae statum. Illae spectant regimen, hae aedificationem ecclesiae; illas complectitur potestas iuris, has potestas ordinis. Cum vero potestas ordinis sit ius praedicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata, et administrandi sacramenta, atque ii, quibus haec potestas publice concessa est, dicantur pastores et ordini sacerdotali adscripti sint, regimen ecclesiae ab iis etiam administrari potest, qui non habent ordinem, sive a laicis, qui sunt membra ecclesiae et quibus regundi ecclesiam potestas facta est ecclesiae consilio et voluntate.

18.

Iam vero theol. practica omnia tradit, quae ad ecclesiam pertinent. Cum vero ecclesiae status sit vel externus vel internus in duas partes praecipuas dividitur theol. practica, I. in politicam sacram seu ius ecclesiasticum, II. in theologiam pastoralem seu disciplinam de officiis ministrorum specialissime sic dictorum. Prima pars, seu ius ecclesiasticum, duas habet subpartes, 1) ius eccl. universale, quod ius eccl. naturale seu rationale dici posset; 2) ius ecclesiasticum particulare, seu ius ecclesiae particularis; idque dividitur in a) ius ecclesiasticum publicum seu id quod e nexu ecclesiae particularis cum civitate oritur, b) ius eccl. privatum, quod ecclesiae instituta, leges et traditiones complectitur.

Altera pars theologiae practicae primaria appellatur theol. pastoralis et pertinet ad internum potissimum statum seu aedificationem ecclesiae. Ergo complectitur actus ministeriales seu pastorales. Spectant vero hi actus 1) vel cultum, 2) vel vitam fidelium; atque etiam 3) ad eos, qui nondum in societatem fidei recepti sunt, pertinent. Prima pars theolo-

giae pastoralis spectat cultum publicum, qui est quasi centrum societatis religiosae. Omnes enim, qui sunt viva membra ecclesiae, cultu publico uti suum esse ducunt; et ministrorum ecclesiae praecipuum officium versatur circa cultum administrandum.

Disciplina, quae de cultu agit, dici potest ac debet *Hierurgica.* Nam ἱερουργεῖν significat *sacra facere* (ἱερὰ ἐργάζεσθαι Hes.), *munere sacerdotali fungi*, Rom. 15, 16. (Paulus se ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον θεοῦ appellat, quatenus evangelium praedicans munere sacerdotali fungitur. Male Bretsch. in Lex. *se ipsum immolare* interpretatur.) Cultus evangelicus duobus constat elementis, *verbo et actione,* sive praedicatione verbi divini, et ceremoniis, seu ritibus, quibus sacramenta adnumeranda sunt. Igitur Hierurgica duas habet partes, *Homileticam et Liturgicam,* quarum altera de orationibus sacris faciendis, altera de caeremoniis recte instituendis et peragendis regulas tradit.

Cum vero pastoris sit, mores et vitam gregis sui curare, singulos vel docere, vel emendare, vel solari, atque necessitatibus eorum pro viribus prospicere, haec etiam muneris pastoralis pars disciplina continetur, quae *Paedagogica* dici potest. Paedagogi enim est, discipulos curare, eorumque saluti, cuiuscunque generis sit, providere. Hanc autem disciplinam non incommode nominari paedagogicam e loco Paulino (1 Cor. 4, 15.) patet, ubi apostolus dicit: *Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας.* Se, conditorem coetus Corinthiaci appellat *πατέρα,* caeteros doctores *παιδαγωγοὺς ἐν Χριστῷ.* Iam vero pastor non condidit ecclesiam, cui praeest; ergo non est parens, sed potius paedagogus. (coll. Clem. Alex. Paedag. I, 1. *πρακτικὸς, οὐ μεθοδικὸς ὢν ὁ παιδαγωγὸς, ᾗ καὶ τὸ τέλος αὐτοῦ βελτιῶσαι τὴν ψυχήν ἐστιν, οὐ διδάξαι, σώφρονός τε, οὐκ ἐπιστημονικοῦ, καθηγήσασθαι βίου.*) Constat haec disciplina duabus partibus, ***Oeconomica,*** quae ex-

ternam salutem, *Psychagogica*, quae internam salutem, i. e. fidem, cognitionem, mores et vitam curare docet. Denique, quia ecclesia eo tantum conservatur et propagatur, quod ii, qui nondum recepti sunt in societatem fidei, ad fidem amplectendam instituuntur, id etiam ad officium pastoris pertinere, ut coetus credentium augeatur vel propagetur, sponte patet. Haec vero pars theologiae pastoralis commode dicitur *Halieutica*, e Matth. 4, 19. (*ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων*.) Ii autem, quos pastor ad coetum adducere potest, sunt aut baptizati aut non baptizati. Prior pars complectitur liberos, pueros et puellas, e parentibus christianis natos; altera pars spectat eos, qui non sunt Christiani.

Nominatur *Catechetica* disciplina, quae quomodo pueri ad religionem instituendi sint, docet, *Cerycticα* (Keryktik) vero ea, quae rationem, qua qui non sunt Christiani ad fidem adduci possint, exponit. Nam *κηρύσσειν* significat evangelium praedicare iis, qui a Christiana religione alieni sunt; *ceryx* vero dicitur is, qui est verbi divini inter incredulos praedicator.

Indicenda nunc est solemnitas, qua recoletur memoria Viri perillustris, *Kregel de Sternbach*, qui satis amplam pecuniae summam legavit bonarum artium studiosis, ex quibus qui nunc fruitur stipendio theologiae studiosus Georgius Aemilius Quell, Lipsiensis, oratione *de salute Gentilium* d. XVIII. Iulii h. IX. in Aula academica recitanda tantae munificentiae memoriam iustis laudibus prosequetur. Cui solemnitati ut interesse velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI modeste oramus ac rogamus.

P. P. Dom. V. p. Fest. Trin. MDCCCXLVI.

Theologia practica.

I. Ius ecclesiasticum. (Politica ecclesiastica.)

1) ius ecclesiasticum universale.
2) ius ecclesiasticum particulare.
   a) ius ecclesiasticum publicum.
   b) ius ecclesiasticum privatum.

II. Theologia pastoralis.

1) Hierurgica.
   a) Homiletica.
   b) Liturgica.
2) Paedagogica.
   a) Oeconomica.
   b) Psychagog.
3) Halieutica.
   a) Catechetica.
   b) Ceryctica*).

---

*) Huius disciplinae ne prima quidem fundamenta adhuc iacta esse valde dolendum est. Exponere debet primum naturam, rationem et varias formas Polytheismi, Iudaismi et Islamismi; deinde vero demonstrandum ei est, quibus artibus idololatrae vel pagani, tum et Monotheistae non Christiani ad veram fidem amplectendam adducendi sint. Hac igitur doctrina inprimis imbuendi essent ii, qui ad convertendas gentes mittuntur, quorum plerique ζήλῳ non ἐπιγνώσει instructi sunt. Theologiae hanc disciplinam gravissimum et maxime frugiferum, imo necessarium, fore complementum nemo non videt. Inter Muhammedanos Ismaëlitarum et Karmatarum secta, quomodo in convertendis alienae fidei asseclis versandum sit, praecepta, subdola sane, suis Daïtis (Missionären) dedit. Wolff „die Drusen" (Leipz. 45.) p. 172 seqq.

LIPSIAE

LITERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.